

## USUS E VERSU V.

(1) Integri clam sauciantur non raro per aculeata malevolorum verba citra omnem suam culpam, imo & notitiam. v. præc. VIII.

(2) Effrenis multorum est malitia, adeo ut de nequitia perpetrata nullatenus timeant, imò glorientur, Jef. III, 9.

## USUS E VERSU VI.

(1) Aliud est labi per incogitantiam, debilitatem, &c. aliud premeditatio, dum quis in malo semel inchoato pergit contumaciter, animum ad majora obsirmando, &c. L. de peccatò. Exempli loco sunt Pharao, Exod. V, 2. Achitophel. Haman, &c.

[2] Recensere aliis structas à se fraudes, est gloriari de sceleribus.

(3) Retia occultare est Satanam imitari. Experius talia est Salvator non semel Matth. XXII, 15. &c.

(4) Impunitatem stolidè sibi pollicentur mundani, imò instar infantum se videri à nemine opinantur, dum oculis post mantile clausis neminem vident ipsimet.

## USUS E VERSU VII.

(1) Hostium exquisita est malitia: adoriuntur pios non aperto tantum Marte, sed & astutiâ subdolâ, consiliis fraudulentissimis &c.

(2) Detegere tamen ea cuncta facillè potest Deus, penitusque confundere: Jef. VIII, 10.

(3) Imperscrutabile licet profundumque sit cor hominis, scrutatur tamen illud Dominus, Jerem. XVII, 9.

(4) Idem statuas, o homo, de corde quoque tuo proprio: tua intima Deum latent haut quaquam. Ebr. IV, 13. Psal. CXXXIX, 1. seqq.

## A

## USUS E VERSU VIII.

[1] Qui sagittas parant aliis, (v. 4.) Sagittas Dei paratas sibi sciãnt longè acutiores, certiores, exitiosiores.

(2) Plagæ impiorum sunt immedicabiles.

(3) Huc Dei fulmina, sagittis aliàs comparata. differuntur illa quandoque diu; sed feriunt eo gravius.

## USUS E VERSU IX.

(1) Per linguam propriam corruerunt multi: Innumera hujus rei exempla in aulis vitæque communi.

(2) Judicia in impiis exercita horrorem nobis incutiant pium, ut damnò aliorum discamus sapere, Deum judicem revereri, Satanæ astum cavere, ardentius orare, peccandi occasionem vitare &c.

## USUS E VERSU X.

(1) Cæcos nos esse aut oscitantes circa exempla recentia non decet: intueantur omnes homines, quando pleclit præmiatve Dominus.

(2) Opera Domini non supprimenda, extenuanda, aliis naturalibus commiscenda, sed annuncianda reverenter, ad adificationem aliorum, propalendamque Dei gloriam Rom. IX, 17. Psal. LXXVII, 13.

## B

## USUS E VERSU XI.

(1) De gaudio in Deo Psal. LXIII, 12.

(2) De fiducia in Deo præc. I.

(3) Recti corde sunt cultores veri Dei, rectè de ipso ipsiusque voluntate ac operibus informati, rectè secundum ipsius verbum eundem colentes, citra omnem hypocrisis, pharotiam, &c.

[4] Gloriari in Deo est omnia ipsi transcribere, omnem felicitatem ex ipsius gratia sibi polliceri &c.

## PSALMI LXV. DISPOSITIO

Annonæ benedictio. Corona anni. Das verbum & fruges.

Continetur hic insigne Dei miseratoris elogium, ubi

I. Propositio est, Deo deberi tum silentium spei in cruce, tum laudem in luce, tum exsolutionem voti, post factam exauditionem: v. 2.

II. Rationes adducuntur (1) à precum admisione v. 3. unde etiam omnis caro ad ipsum accumulatur: ibid. (2) ab iniquitatum, etiam grandium multarumque, condonatione: v. 4. (3) à sanctâ refectione: ubi divina electio, approximatio, habitaculi in atriis concessio, honorum sanctuarii larga & ad satietatem usque communicatio: quæ omnia beatum faciunt utentem: v. 5. (4) ab insigni opitulatione: tu Deus es nobis saluti-fer, tu respondes terribilia, tu justè & tueris, &

punis, tu es expectatio omnium, etiam longinquorum, in finibus terræ marisque: v. 6. (5) à potentiâ immensa: quorsum (a) montium firmatio: v. 7. (b) roboris promptissima ac perennis usurpatio, ibid. (c) maris tumultuantis compositio, v. 8. (d) nationum perstrepentium tranquillatio, ibid. (e) timoræ per signa incussio apud incolas finium terræ: v. 9. (f) mane seroque prodeuntium (tum aërorum in cælis, tum animatorum in terris) exhilaratio: ibid. (g) terræ visitatio, v. 10. irrigatio: fecundatio: ditatio: v. 10. II. anni coronatio: v. 12. pinguedinis larga concessio, ibid. pratorum colliumque tum per frumenta, tum per omnis generis jumenta exornatio: v. 13. 14.

## PSALMUS LXV.

## EXPLICATIO VERSUS I.

Ἦν Canticum: ) de voce hac actum Ps. xxx,

i. ubi idem cum Ἦν psalmus, copulatur, sicut & Ps. XLVIII, 1. fortasse ad innuendum, psalmum hunc esse canticum gaudio plenum, musicisque simul instrumentis decantandum. Sic Rivetus Psalm.